

lute humana ac refuturisse à mortuis in ea carne in qua mortuus est credit. Eundem denique venturum iudicem omnium sperat: in quo & remissio peccatorum & carnis resurrectio prædicatur. Verum de remissione peccatorum sufficere debet sola credulitas. Quis enim causas aut rationem requirat, ubi indulgentia principalis est causa? Cum terreni regis liberalitas discussio non sit obnoxia: ab humana temeritate discutitur divina largitio? Solent enim cum irrisione adversum nos dicere pagani, quod ipsi nos decipiamus, qui putemus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari, & aiunt: Nunquid potest qui homicidium fecit, homicida non esse: & adulter non videri, qui adulterium perpetravit? Quomodo ergo huiusmodi criminum reus, sanctus vobis effici subito videbitur? Sed ad hæc, ut dixi, melius fide quam ratione respondeo: Rex enim est omnium qui hoc promittit: terræ cælique Dominus est qui hæc pollicetur. Non vis ut ei qui me ex terra hominem fecit, credam quod ex criminoso me faciat innocentem? Et qui me cum essem cæcus, fecit videre: vel cum essem surdus, audire: qui mihi claudo gressum reddidit, innocentem mihi perditam non poterit recuperare? Et ut veniamus ad ipsius naturæ testimonium: Occidere hominem non semper criminosum est, sed malitia, non legibus, occidere criminosum est. Non ergo factum me in talibus, quia interdum & recte fit, sed animus male consulens damnat. Si ergo animus in me qui criminosus est effectus, & in quo fuit origo vitii corrigatur: cur tibi videar non posse innocens effici qui prius fueram criminosus? Si enim ut supra ostendi constat, quod non in facto, sed in voluntate sit crimen: sicut mala voluntas autore malo demone peccato me & morti fecit obnoxium, ita in bonum voluntas mutata autore bono Deo, innocentiae me reddidit & vitæ. Similis causa & in cæteris est criminibus. Hoc modo fides nostra non invenitur naturalibus rationibus adversari: dum remissio peccatorum, non gælis, quæ mutari non possunt, sed animo quem de malo in bonum converti certum est, deputetur. Sed & ultimus sermo iste qui resurrectionem carnis pronunciat, summam totius perfectionis fucinata brevitate concludit: quamvis etiam de hoc non solum à gentilibus, sed ab hereticis fides impugnetur Ecclesiæ. Nam Valentinus resurrectionem carnis omnimodo negat, & Manichæi, sicut supra ostendimus. Sed isti Isaiam quidem Prophetam dicentem: Resurgent mortui, & suscitabuntur qui sunt in sepulchris: audire noluerunt: nec Daniele sapientissimum protestantem: Quia tunc resurgent qui sunt in terræ pulvere: hi quidem in vitam æternam: hi autem in opprobrium & confusionem æternam. Tamen vel in Evangeliiis, quæ recipere videntur, discere debuerunt à Domino & salvatore nostro, Sadducæos docente, dictum: Quod autem resurgant mortui: non legistis quomodo dicit Moysi in Rubo, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: Deus autem non est mortuorum, sed viventium. In quo etiam quæ sit, & quanta resurrectionis gloria, in superioribus memoravit, cum dixit: In resurrectione autem mortuorum neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei. Resurrectionis autem virtus, angelicum hominibus conficit statum: ut qui de terra resurrexerint, non iterum in terra cum pecudibus, sed in cælo cum angelis vivant: quos tamen ad hoc ratio vitæ purioris admiserit, illos scilicet qui jam nunc conservantes animæ suæ carnem in castis pudicitiae actibus, obedientiae sancti Spiritus subjugaverunt: & omni eam vitiorum labe tenuatam, atque in spiritualem gloriam sanctificationis virtute mutata, angelorum quoque meruerunt inferre consortiis. Sed infideles clamant, & dicunt: Quomodo potest caro quæ putrefacta dissolvitur, aut in pulverem vertitur, maris etiam interdum profundo sorbetur, fluctibusque dispergitur, recolligi rursus & reintegrari in unum, & corpus ex ea hominis reparari? Ad quos primam iterum responsum sermonibus Pauli faciamus, dicentis eis: Insuper, tu quod feminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod feminas, non corpus quod futurum est feminas, sed nudum granum tritici, aut alicujus cæterorum seminum. Deus autem dat illi corpus prout vult. Quod autem in feminibus, quæ tu in terram jactis, per annos singulos fieri vides: hoc in tua carne quæ lege Dei seminatur in terra, futurum esse non credis. Cur quæso tam angustus & invalidus divinæ potentie æstimator es, ut dispersum uniuscujusque carnis pulverem, in suam rationem colligi & reparari posse non credas? An non censes, cum videas quod etiam mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimatur: & artificis ocu-

lus aurum videt, in quo imperitus terram putat. Hæc cur non concedimus ei, qui fecit hominem: quando tantum is qui ab ipso factus est assequi potest: Et cum auri esse propriam venam, & argenti aliam, æris quoque longe disparem, ferri ac plumbi diversam intra speciem terræ latere, mortale deprehendat ingenium: divina virtus invenire posse ac discernere non putabitur uniuscujusque carnis proprium sensum, etiam si videatur dispersus? Sed ad hæc tentemus animas quæ deficiunt in fide, naturalibus rationibus adjuvare. Si quis diversa femina in unum permisceat, & hæc inmisceta feminet, vel passim spargat in terram: nonne uniuscujusque feminis granum, quocumque loci jactum fuerit, competenti tempore secundum naturæ suæ speciem germen producet, ut statum suæ formæ sui que corporis reparat? Ita ergo uniuscujusque carnis substantia, quamvis variè diversèque dispersa sit, ratio tamen ipsa quæ inest unicuique carni est immortalis, quia immortalis animæ caro est ex tempore, quo feminatis in terram corporibus primum veri Dei voluntati arrisit, collectum terræ attractumque substantiæ suæ sensum reddit, ac reparat in illam speciem, quam mors aliquando dissolverat. Et ita fit ut unicuique animæ, non consulum aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat reparatur: ut consequenter possit pro agonibus præsentis vitæ, cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri. Et ideo satis cautè Ecclesiæ nostra fidem symboli docet, quæ in eo quod à cæteris traditur carnis resurrectionem, uno addito pronomine tradidit hujus carnis resurrectionem. Hujus sine dubio, quam habetis qui proficitur, signaculo crucis fronti imposto: si quis plerisque desiderat, in omnibus penè divinis voluminibus inveniet indicari. Ex quibus nos commonitionis tantummodo gratia pauca in præsentem loco memorantes, finem injuncti à te opusculi faciemus. Igitur Apostolus Paulus, quod resurgat mortalis caro, talibus asserit argumentis, dicens: Quod si resurrectio mortuorum non est, ergo nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, vacua est & fides nostra. Et paulo post: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, initium dormientium: quoniam quidem pro hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur: unusquisque autem in suo ordine: initium Christus: deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus, deinde finis. Et in sequentibus addit & hæc: Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur, sive ut in aliis exemplaribus invenimus: Omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Cænet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Sed & ad Thessalonicenses nihilo minus scribens dicit: Nolo autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Nam si credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui reliqui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt: quia ipse Dominus in jussu, & in voce archangeli & tuba descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra: & ita semper cum Domino erimus. Verum ne existimes hæc Pauli solius quasi novella prædicatione signari: audi etiam quid Ezechiel Propheta olim per Spiritum sanctum prælocutus sit: Ecce, inquit, ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris. Job quoque mysticis redundans eloquiis, audi quam evidenter resurrectionem mortuorum prædicet. Est, inquit, arbori spes, si enim abscessa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum ejus nunquam deficiet. Quod si fuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus ejus, ab odore aquæ reflorescit, & faciet fruticem sicut novella. Vir vero si mortuus fuerit abiit: & mortalis si ceciderit, ultra non erit: Non tibi videtur in verbis his cum quodam pudore arguere homines & dicere: itane stultum est hominum genus, ut cum videant excisæ arboris truncum rursus pullulare de terra, & lignum emortuum iterum vitam recipere

recipere, ipsis ne lignis quidem aliquid simile de semetipsis, nec arboribus opinentur? Ut autem scias, quod veluti interrogantis modo legendum sit quod dixit, mortalis autem cum ceciderit non resurget, de consequentibus probationem accipe. Subjungit namque statim: Si enim mortuus fuerit homo, vivet. Et paulo post dicit: Expectabo usquequo iterum fiam. Et iterum idem dicit: Qui resuscitaturus est super terram pellem meam, quæ hæc nunc haurit. Hæc quidem ad probationem dicta sunt professionis nostræ, qua consistemus in simbolo, hujus carnis resurrectionem. Quod enim adjunctum est, hujus, vide quam consonam sit omnibus his quæ de divinis voluminibus memoravimus. Quid enim aliud indicatur in dictis Job, quæ superius exposuimus: cum dicit, quia resuscitabit pellem meam, quæ hæc nunc haurit, id est, quæ ista tormenta perpetuit: nonne aperte dicit hujus carnis resurrectionem futuram, hujus inquam, quæ tribulationum & tentationum cruciamenta nunc sustinet? Sed & Apostolus cum dicit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: non quid non corpus suum quodammodo contingens & digito palpantis est vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus est, resurrectionis gratia incorruptibile erit: & hoc quod nunc mortale est, immortalitatis virtutibus induetur: Ut sicut Christus resurgens à mortuis, ultra jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur: ita & qui in Christo resurgunt: nec corruptionem sentiant ultra nec mortem: non natura carnis abjecta, sed conditione ejus & qualitate mutata. Erit ergo corpus quod resurget à mortuis, incorruptibile & immortale, non solum iustum, sed etiam peccatorum. Iustorum quidem ut semper possint permanere cum Christo: Peccatorum vero, ut absque interitione sua debitas luannt penas. Quod autem iusti semper cum Domino nostro Christo permanent, jam & in superioribus edocuimus, ubi ostendimus quia Apostolus dicit: Deinde nos qui vivimus, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra: & ita semper cum Domino erimus. Nec mireris, si caro sanctorum in tantam gloriam ac resurrectione mutabitur, ut in occursum Dei suspensa nubibus, & in aëre vecta rapiatur, cum ipse Apostolus, exponens quantum conferat Deus his qui diligunt eum, dicat: Qui transfutavit corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori claritatis suæ. Nihil ergo absurdum est, si sanctorum corpora dicantur nubibus in aëra sustolli, cum ad formam corporis Christi, quod in dextera sedet, dicantur referenda. Sed & hoc sanctus Apostolus, vel de se vel de cæteris sui loci vel meriti addidit, & dicit: Quia consuscitabit nos cum Christo, simulque faciet sedere in cælestibus. Unde cum hæc & eorum similia quam plurima Sancti Dei in repromissionibus habeant in resurrectione iustorum: non erit jam difficile credere etiam illa quæ Propheta prædixerat, quod iusti scilicet fulgebunt sicut sol, & sicut splendor firmamenti in regno Dei. Cui enim difficile videbitur eos splendorem solis habituros, ac siderum ac firmamenti hujus splendorem decorandos: quibus vel vita, vel conversatio angelorum Dei paratur in cælis, vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Christi? Ad quam gloriam salvatoris ore promissam, respiciens sanctus Apostolus dicit: Quia seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Si enim verum est, sicut certe verum est, quod iustos quoque & sanctos, angelorum consortiis sociabit divina dignatio: certum est quod & corpora eorum in spirituali corporis gloria vertent. Nec hoc tibi contra naturalem corporis rationem videatur esse promissum. Si enim credimus secundum ea quæ scripta sunt, quod accipiens Deus limum terræ, plasmavit hominem: & hæc fuit natura corporis nostri, ut voluntate Dei terra videretur in carnem: cur tibi aut absurdum, aut contrarium videtur, si iisdem rationibus quibus terra proficisci dicitur in corpus animale: rursus corpus animale in corpus proficisci spirituale credatur? Hæc quidem atque his similia multa invenies in scripturis divinis de resurrectione iustorum. Dabitur autem etiam peccatoribus, ut supra diximus, incorruptionis & immortalitatis ex resurrectione conditio: ut sicut iusti Deus ministrat ad perpetuitatem gloriæ: ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret & pæna. Sic enim propheticum diffinit eloquium, cuius & paulo ante meminimus, ubi dicit: Et multi resurgent de terra pulvere, hi quidem in vitam æternam, hi autem in confusionem & opprobrium æternum. Si ergo intelleximus qua veneratione Deus omnipotens pater dicatur, quoque sacramento

Domini noster Jesus Christus unicus ejus filius habeatur, & qua perfectione sanctus ejus Spiritus nominetur, utque sancta Trinitas unum sit per substantiam, sed affectu personisque discreta: quid etiam partus virginis, quid verbi in carne nativitas, quid sacramentum crucis, quæ utilitas divini ad inferna descensus, quid resurrectionis gloria & animarum de infernis revocata captivitas, quid etiam ascensus ejus ad cælum, & venturi iudicis expectatio: sed & sanctæ Ecclesiæ adversus congregationes vanitatis qualis haberi debeat agnitio, qui sanctorum voluminum numerus, quæve hereticorum vitanda conventicula, & quod in peccatorum remissione divinæ libertati nequaquam ratio naturalis obstat, & ut carnis nostræ resurrectionem, non solum divinæ voces, sed & ipsius Domini & salvatoris nostri exemplum & consequentia naturalis rationis assignent. Si inquam hoc secundum traditionis supra expolitæ regulam consequenter advertimus, deprecamur ut nobis & omnibus qui hæc audiunt, concedat Dominus fide quam susceperimus custodita, cursu consummato, expectare justitiæ repositam coronam, & inveniri inter eos qui resurgunt in vitam æternam: liberari vero à confusionem & opprobrium æternum, per Christum Dominum nostrum, per quem est Deo Patri omnipotenti cum Spiritu sancto gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Hæc Epistola non est unius hominis. Qui priorem scripsit partem, amulatus est divi Hieronymi stylium, ut qui ex hujus Epistolis ad Heliodorum ac cæteros, sententias quasdam ac verba sublegerit, homo sicut apparet, nec inruditus nec infans. Cæterum ab eo loco, cujus initium est: Itaque invidius Placentiam te remitto: haud scio quisnam rabula, somnia quadam assuit de naturis animalium, non solum indocta, sed nec ad rem quicquam pertinentia: in summa ejusmodi, ex quibus intelligas scriptorem, quisquis fuit, non caruisse febri. Videtur errore factum, vel scriptoris, vel eorum qui concinnant codicum paginas. Quod ne quis miretur hic accidisse, vidimus in Epistolis Plinianis, tot jam sæculis pro una lectam, & ab eruditissimis pro una expositam, cum in medio decem intercederent Epistola. Quod quidem ex uno duntaxat exemplari deprehensum fuit, sed adeo vetusto, ut etate Pliniana scriptum videri possit. Nam quis hoc alioqui divinare valuisset? Divus Hieronymus in Epistola ad Theophilum, cujus initium est: Et tempore: restatur se verissimum librum paschalem Theophili, quem illic vehementer admiratur ac laudat. Verum hunc non esse librum illum per se liquet ex Hieronymiana descriptione.

AD PRÆSIDIDIUM DE CEREOPaschali.

NULLA res (vetus inquit comicus) tam facilis est, quin difficilis fiat, si invito facias. Quod si ille rem facilem difficulter fieri invito animo putavit, quid me facere posse existimas in re maxima, & nullius unquam ediserta eloquentia? Nam quicumque voluerunt de laudibus cerei dicere, plenisque, ut aiunt, ventis ingenii sui intendere vela, & quasi quadam pelagi alta penetrantes, vicina abscondere littora: statim in orationis foribus renitet oratorum clamor, florum, pratorumque descriptio: & in modum sonantis auræ molli-ter verba cadentia, dum describuntur apes, quod sine coitu generantur & generant: quod solæ à concubitu liberæ, natos ore legunt, arte componunt, & quædam ratione vitali, animas apiculis, non de suo inferunt. Præterea Virgiliæ totus Georgicorum liber profertur in medium, Rex ad- volans agmen inducit, tantoque strepitu diversa narratur munia, ut militaribus castris interesse te credas. Sed cum hæc audieris sive legeris, laudabis oratoris eloquentiam. Et ut breviter signem, puto te Quintiliani controversiæ recordari, in qua pauper caufatur, dolens ob interitum apum, flores ab impotentissimo divite venenatos. Esto hæc jucunda sint, & autem composito pede mulceant, quid ad diaconum, quid ad Ecclesiæ sacramenta, quid ad tempus paschæ quo agnus occiditur, cum accinctis lumbis carnes cum ossibus devorantur: cum tacente Episcopo, & presbyteris in plebem quodammodo cultum redactis, levita loquitur, doctoque quod pene non didicit: & festivissimo prædicans tempore, toto de hinc anno iustitiam vocis ejus indicitur? Videtne quam grandia sint? Intelligis te difficilia postulare. In eodem equip-

pe momento & prædicanda conscribere, & cur ita prædicata sint docere, omnium difficillimum est. Nam illud penè me præterit, quod divinis magis quam humanis vocibus disse- rendum est. Lege Pentateuchum, instrumentum percurre ve- tus: nusquam in Dei sacrificiis mella, nusquam cere usum, sed lucernarum lumina, & oleo fotos videbis igniculos. Quid causer de veteri testamento? Novos percurre libros. Hi, ut opinor, sunt Evangelia quatuor, Apostolorum Actus, Epi- stola Joannis, Apocalypsis. Nihil præter ista, nunquid alibi cereus? Nonne in fine Evangelii detonantis inter septem candelabra & lucernas aureas, sponsus revelatur incedens? Ad hæc respondebis: Et ego a te fieri idcirco postulavi, quia scivi esse difficile quod petebam. Leviter omnis solvitur quaestio, & par pari refertur sententia. Et ego me idcirco facere debere non putabo, quia rem difficillimam postulo: attamen ne te cauendo differam, si coram pariter fuerimus: au- dies unquam quæ sentiam: ut si quid forte nescimus, in tua aure moriatur. Nam qui scribit, multos sumit iudices: alius in alterius liver ac grassatur ingenium. Ille si unus sermo defuerit, quasi claudam oratiunculam diffugit. Alius si paululum se loquentis cothurnus extulerit, non presbyterum latrabit esse, sed rhetorem, itaque si vis te mihi hoc obligari munere, Placentinas delicias desere, sectare Abrahæ habi- tum, relinque natale solum, spretisque urbibus ad deferta secede, ut possis orare cum Christo. Erit quidem durus & mucidus, & hordeaceus forte panis. Sed delicatum mili- tem rex non amat. Jerusalem quæ simulam & mel, & oleum manducavit, fornicationis arguitur: non quod mali sint cibi, quos paterna indulget clementia: sed quod mollis præliator ad primam statim aciem concidat, & post umbram solem ferre non queat. Post sudarium galeam oneri potius re- putet, quam tutamini. Quod si exire cupienti mater obstitit in limine, loquere ei verbis Domini tui: mater mea & fratres mei hi sunt qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Si vernacula cum quibus nutritus es flere, & paterni ruris memoria, ipsius quoque domus anguli, & secreta retinere te cæperint, in quibus infans volu- tatus es, lusisti puer, adolescentulus lascivisti: recordare omnes, qui nunc accolæ eremi sunt, cælestes illos choros, per eoldem erupisse tramites, iidem institisse vestigiis. Et ut longam orationem compendio brevem (Epistola quippe li- brum redolere non debet) aut parva aut magna sunt, quæ tibi deferenda suademus. Si parva, non difficile putes parva contemnere. Si magna, majora magnis præmia præparantur. Sed dicis: Volo prius paternum rus vendere, & exiguis sump- tibus congregatis, sive viaticum viæ sternere, sive in pau- perum me alimoniam præparare. Et hic Evangelicam audi sententiam: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & sequere me. Plures jam anni sunt quod cæpisti servire Deo. Mens Christum sequens non diu sæculi sustinet onus, nec se patitur istiusmodi vinculis alligari. Quin potius timendum, ne dum occaso distribuendi patrimonii prætentur, dum non vis rem majoris præcii minoris vendere, sit impedimentum in proposito tuo. Decem aliquid emptum est nummulis, vel unum libenter acci- piam: dum me ad prælium festinantem nulla præpediant moræ. Mattheus sedens ad teloneum audit: Sequere me. Nunquid prius ratiocinia supputavit, & reversus domum suorum passus est lachrymas, prædiorumque auctione solici- tus, nequaquam potuit Domini sequi vestigia, nisi mundi se prius onere liberaret? Ille discipulus qui renunciare paren- tibus antè cupiebat, voce salvatoris arguitur. Et certè mul- tum est inter eum, cuius brevis ad domum recursus statim venturi reprehenditur, & te qui tanto jam tempore, aut non vendis tua, qui cito potes facere: aut non contemnis, sed vides multa tibi impedimento esse ne facias. Cum hæc lege- ris, ad asylum Romuli fugies: & comedæ conscendens aram, verba Domini sævientis eludes. Diaconus, inquires, Ecclesiam tuo deferere non possum: Vereor ne incurram sacrilegium, si altaria derelinquam. Euge meus, plus de te exacturus sum, si ad vitam monachi, clerici aliquid digni- tatis accedit: si in apostolico stans ordine, quotidie Christi corpus pia plebi famulatione distribuis. Sed considera obse- cro, satis esse difficile locum Stephani implere vel Pauli, in angelico stare ministerio, & populos subjacentes candenti de- super veste despiceret. Preciosum est margaritum, sed citò frangitur, fractumque non potest instaurari. Navis quamvis sit rudis, & solidis confixa clavis, tumentes fluctus tabulata

non sentiant: cito tamen si periculosè navigat, perforatur: & licet plenis ventis lucrosius ad optata perveniat: tamen magis secura sunt quæ tranquilla: & ut apertius loquar, plus te quidem dicis habere mercedis, si in media urbe consistens monachorum vitam victites. Hæc sunt vera quæ dicis, sed non tam facile explentur opere quam dicto. Ut enim cætera prætermittam, quæ nos ab austeriori vita retrahunt, illud inferam, ad cuius comparisonem etiam quæ dissimulaverim, imo timuerim dicere, intelligem. Alius barbam cædit æqua- liter, & hilaritatem frontis, nitenti desuper coma protegit. Tu si paululum, ut nos solemus facere rutilicani, capillum usque ad cutem persecueris, risum præbebis omnibus. Quod si pulla fuerit tunica, etiam prætereuntium digitis denotabe- ris. Cave, inquam, ut non stricte sint caliga, ne crura non candeat. Nisi formosus fueris, sanctus esse non poteris. Aliquis invitat de optimatibus ad prandium, omnes votivis pergunt feris: certè aut eundem tibi est, aut negandum. Si ieris, aut eisdem vesceris cibus, aut alius. Si alius, conviva- rum offenduntur oculi. Si iidem, perit abstinentia. Quod si ire nolueris, tunc miser in prandio comederis. Ad singulas quasque phialas & delibuta mellis vina potaberis. Alius in tuum vultum cavillabitur, ut in incessum ridebit, hic habi- tum. Et imitatores forsan Judæorum: Nonne hic est, in- quient, filius fabri? Nonne fratres ejus & sorores apud nos sunt? Ego illum memini ante tot ferme annos illud fecisse turpe, dixisse turpius. Alius furem clamabit & mœchum, seque sceleris finget fuisse participem. Omnia pariter prandia consonabunt, & in te temulentum convivium dissolvetur. Quod si vilibus abstineris carnis, & non crebro balneas frequentaveris: tunc verè per omnes columnas Manichæi tibi titulus ascribetur. Si volucrum edulium refutareris, & tenel- las columbas, crassolque turtures expetenti gutturi durior Dominus denegaveris, sacrilegii crimen asiget. Statimque aient: Hi sunt qui creatorem mundi contemnunt, in usus no- stros facta sunt omnia. Audivi, teste Domino, non mentior, quemdam in suam gulam disertum, cum me rumore cognovisset esulentioribus cibus abstineret, dixisse: Nunquid por- cellus ideo factus est, ut togatus in senatu sententiam diceret? Quo videlicet me stultitiæ condemnaret, qui putarem ea quæ sunt in hominum usus creata, non lumere. Hæc & istiusmodi cum vitam in urbibus lacerent bonam, quid facies frater in medio? aut vitii, aut anathemati colla submittes: id est, aut sectaberis quæ sunt adversa continentie: aut si facere nolueris, ipse damnaberis. Prætermitto crebras salutationes, obsequia matronarum, variasque illecebras, quibus etiam rigidissimi emolliuntur animi, & Sireno cantu ad naufragia pertrahuntur. Quod ad speciosa quæque formas oculos sepe invitatus abstrahitur, quod aures obscæna dicta feriunt: nunc illud affirmo, quod etiam si ista non essent, ad comparatio- nem tam ingentis boni, minora deserere debebas. Adde quod diaconus es, sed abscessu tuo, Ecclesiæ damna non sentient. Helias vivit in eremo. Heliæcum Prophetarum se- cultus est chorus. Præcursor Domini Joannes nutritus in so- litudine, ad hoc tantum descendit ad Jordanis ripas, ut populos argueret confluentes, & Phariseos intelligens cleri- cos Judæorum generationes vipereas denotaret. Nuper Egyp- ti deserta vidisti: intuitus es angelicam familiam. Quanti ibi flores sunt? quam spiritualibus gemmis prata vernantia? Vidisti ferta, quibus Dominus coronatur. Ille tibi in pectore ignis exaestuet. Illa quotidie cogita, tracta, desidera, & quasi quodam carcere detentus exclama: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est. Et in paradysum mente conscendens, totiens in terra non eris, quoties terram despexeris. Eadem nobis certè cum his qui habitant per deserta conditio est. Iidem oculi, toti- dem manus. Iisdem infirmitatibus, vel virtutibus subjacemus. Si te aquæ potus vexat: quanti nobiliores, non dicam vina nesciunt, & carni igno- rantibus cibos, sed infuso tantum legu- mine sustentantur: Si balnearum te lavacra sollicitant: quanti principes civitatum, sive ob culpam propriam, sive ob in- vidiam, ad insulas deportati, sine præmio futuraque merce- de absque balneis perseverant? Nemo id necessitate pati non potest, quod pro Deo voluntate pati detrectat. Habebis cel- lulam quæ te solum capiat. Imo non eris solus, angelica tecum turba versabitur. Tot socii, quot sancti. Leges Evan- gelium, confabulabitur tecum Jesus. Replicabis Apostolos vel prophetas. Nunquid poteris talem alium tuis sermonibus ha- bere confortem? Terra sumus & cinis: ut per omnia mo- menta de nostra salute suspensi, continuo in pulverem dissol-

vendit. Quid retractamus de necessitate facere virtutem? Cer- te quandoque moriendum est, & stercorebus plena vitalia, quæ nos quotidie nostræ commonent vilitatis, in similem pu- tredinem omne secum tractura sunt corpus. Quam cito mun- di relinquamus angustias, & si forte ob continentiam (quod tamen raro accidit) dolere stomachum, æstare febribus cæperimus, perpetua vite janua morbum putentis, plenam- que victoriam. Qui scriptura docente cognoscimus, nullum ante vitæ hujus finem plene beatum esse dicendum. Quanti in mediis opibus, & inter infulas consulatus repentina morte subtrahuntur? Nuper imperator Valentinianus, cum adversus Sarmatas, Quadosque propter Illyrii vastationem in consisto- rio sævus infremeret, & totius gentis excidium rigidus mina- retur, sanguine erumpente discepuit. Quid loquar de fratre ejus, quem contra regale fastigium Thraciæ ignis absorbit? Necdum annus completus est, quo principem Gratianum pro- dente exercitu suo ante sæda captivitas, dehinc miserabilior oppressit interitus. Et, ut ista taceam, etiam qui communi sine perierunt, post mortem pari cum omnibus conditione fo- ciantur. Quotusquisque eorum in die iudicii minimo de mo- nachis comparabitur? Sectemur saltem mulierculas, sexus nos doceat infirmior. Quanta divitiis pariter & nobilitate pollen- tes (nolo enim vocabula dicere ne adulari videar) relictiis facultatibus, pignoriisque contemptis, id factu facile judi- caverunt, quod tu proprio putasti timore difficile? Id de ce- reo carmine discite. Illud tibi de variis floribus lumen exorna. Esto & ipse apis, Debbora victoriam imitare. Barach tecum Sisaram persequatur; & liberato Israel Judicum carmen in- gemines, ut Christi mella componas. Si sic lampadem præ- paras, sponso veniente non dormites, cubiculum regis intra- bis. Plura cum dicere vellem, & te mecum tali exhortatione retinere, subito nunciatum est, a scello esse conductos, qui me Romam usque pertraherent. Itaque invitatus Placentiam te remitto, sub ea conditione quam nosti, ut quoties hæc le- geris, tibi scias esse quo pollicitus es veniendum. Pellicani cum suos à serpente filios occisos, mortuos inveniunt: lugent, & se sua latera percutiunt, & sanguine excusso ad corpo- ra mortuorum sic reviviscunt. Aquila quando senuerit, gra- vantur ipsius penne & oculi, queritque fontem, & erigit pen- nas, & colligit in se calorem, & sic oculi ejus sanantur: & in fontem se ter mergit, & ita ad juventutem redit. Phœnix avis est in India, & per quingentos annos de Libano implet se aromatibus, & sic nificat sacerdoti Heliopolitano mense Famenoth, aut Farmuth. Implet aram sacerdos samentis, & ibi confert Phœnix aromata, & electrum aræ imponit. Et pri- mo solis ortu, Phœnix quidem movet penas, solis vero ca- lore accenditur electrum, & sic exuritur aromata, & ipsa Phœnix incenditur. Crastino die de cinere gignitur vermis: secundo penas effert: tercio ad antiquam redit naturam, & sic ad sua loca revertitur. Anguis quando senuerit, perdit as- pectum: & si voluerit redire ad juventutem, jjuvat quadra- ginta diebus, ut laxetur pelvis ejus: & sic angustium foramen inquiri, ut dum nititur exire inde, pellem senectutis dimi- tat. Coluber ad bibendum veniens, in aqua venenum depo- nit, ne eum venenum aqua concretum occidat. Nudum ho- minem timet, vestitum persequitur, caput tamen suum cælat quando percucitur, ubi scit esse mortem suam. Serpens qui- dem si semel calamo percucitur, moritur: sin vero iterum percucitur, confirmatur. Brumali tempore infirmior effici- tur, & à foricibus devincitur. Igitur ante hyemem circa se colligit fegetes, ut illis escam præbeat. Viperæ per os coitum faciunt, masculi mortem contemnunt, sed femina in ipso coitu, sive magna dulcedine exagitata, sive futuri præ- cidia periculi, dum absorbet semen, caput masculi ab- cidit, & sic eum occidit. Sed cum conceperit, viscera il- lius ab ipsis quos concepit, comeduntur, & sic ma- trem occidunt. Formicæ quæ nil portant, non rapiunt onera eorum quæ portant: sed cum deposuerint triti- cum, dividunt grana, timentes ne si fuerit pluvia, flo- rescant. Vulpes si diu esurit, volutat se in pulvere, & sin- git se mortuam. Ergo volatilia veniunt, & dum volunt illam comedere, comeduntur. Vulpecula cum leporibus ludit, & sic illos occidit. Panther pardus similis est, & est varii colo- ris, & mitis. Si saturatus fuerit, tribus diebus dormit. Post tertium diem levat se & clamat, & sic odorem suam emittit, & convocat omnes feras, quæ odore ducuntur. Et est omnibus feris amicus, præter draconi & aspidi Testudo ma- rina, quæ est grandis tanquam insula, dum emergit se de

alto, ostendit se in ipso mari tanquam petram, nec se movet inde, quoadusque homines naves ligent. Et cum hæc sen- serit, trahit se in altum. Sed cum esurierit, aperit os, & bo- num odorem reddit: ad quem cæteri pisces colliguntur. Per- dix aliena ova calefacit, perditis suis. Sed cum creverint pul- li, ex nido evolant, & ad parentes suos redeunt, mentium parentem omittentes. Perdices sibi insidiantur, & si afferant illos ad sylvam qui eos habent, vocem emittunt absonam, & sic cæteri veniunt, & retibus capiuntur, plus pedibus quam pennis fugiunt aucupantes. Et si ad hoc fuerit ut capiantur, similem sibi colore lapidem quærunt, & ibi se supinos ponunt. Vultur cum cæperit ova edere, primum de terra India Insti- tium sumit, & est tanquam nux, & intus habet aliquid quod movetur, & sonum reddit. Hoc sibi apponit: & multos quod- dem facit fœtus, unus verò remanet. Nam cum non habue- rint escam, observant se dormientes, & comedunt se usque dum unus remaneat. Myrmicoleon ab ante leo, retro formi- ca, de duabus feris nascitur. Elca vero ipsius in primis est lac matris, id est formicæ. Nutritur enim mater legumine tan- quam formica.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

De libro hunc fateor lectu non indignum, ita stylus, ut nihil sit aliud, evidentissime declarat non esse scriptum ab Hieronymo. Inscriptio variabat in exemplaribus: in aliis erat titulus ad Terentiam, in aliis ad Therasiam. Deinde in ipso volumine nulla sit ullius rei mentio, quæ pertineat vel ad eum qui scripsit, vel ad eos quibus scripsit: cum hujusmodi solet admiscere divus Hieronymus, præsertim in principio & in fine. Postremo cum sit justum volumen, & de celebri argumento, tamen nusquam citatur ab Hieronymo, qui tamen illi mos est in cæteris. Si extaret index operum Tertulliani, fortassis inter illius lucubrations reperiretur. Nam phrasis ab illius sermone non abhorret: quamquam extat Epistola Paulini ti- tulo, & Therasie.

DE VERA CIRCUMCISIONE.

SUPERIORE Epistola quam ex me consultatio vestra de- prompta, quam & ad tuum & sororis tuæ nomen misi, rationem circumcissionis rapide transcurri, quoniam proci- dus itineris mei, in quo confecta est, non solum ei limam nitoris, verum etiam perfectionem operis invidit, licet me & illa terreat quæ limantur. Quod si non placet polita, formidat animus cogitare quid iudicii mereantur informia: quan- quam ego illam non ad iudicium subellia, sed ad faventium mihi coronam transmissi. Denique mea sententia non prodidit, nisi fuisset per vos de secreto verecundia, velut manu quadam charitatis educta. Sed quoniam jam illam meliorem facere non possum, placuit mihi, ut semel emissum reprensus apud te verbum retractarem, ejus conversatio circumcissionis est interpretatio, & vita totius legis enarratio. Ex eo siquidem lex videtur obscura, quoniam rarus in quo conspicitur exi- sit: Dei enim verbum vita est: & nos aliter vivendo quam vita est, verbum Dei facimus obscurum. Quod si ea vita quæ solum vita est viveremus, enarratione legis ejus opus non erat, quam facilius erat videre quam loqui: quandoquidem non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Nobis ergo ex abundantia licet apud te dissertare, quod didicimus in te, tibi prodere quod nobis vita tua præstitit ne esset obscurum. Sed quid novum loquimur, si aut tu quod locuturi sumus hoc vivis, aut si apud te quod in te didicimus hoc loquimur: cum & memor eorum quæ meminit, monita non quarat, & do- ctus non ea quæ jam callet inquirat? Tu quidem filia dile- ctissima circumcissione vivis: mihi tamen propositum est illud tecum loqui: quare non in digito, non in aure, aliave cor- poris parte fiat circumcisio Judæorum quæ utique sine ratione esse diceretur, si à Deo inventa non esset. Nihil enim sine ratione fit per Deum: nihil casibus, ut gentes loquuntur, fortuitis: nihil denique fortunæ in illo temeritati licet. Ipsi enim cæci sunt, qui illa putant habere aliquid potestatis. Deus autem qui ipse ratio est, ut nihil non plena ratione formavit: ita nihil ab homine fieri sine ratione mandavit. Nam si ele- menta quæ cernimus tanta ratione digesti, ut terra hæc esset super quam reliqua moverentur immobilis, ut aquarum venæ altioribus montibus conderentur, à quibus orta flumina dum